

Joachim Heinrich Burgmann

**Ad. Virvm. Nobilissimvm. Amplissimvm. Consvltissimvm. Atqve.
Prvdentissimvm. Dominvm. Georgivm. Henricvm. Gerckenivm. ... Gratvlatio.
Epistolica.**

Rostochii: Operis Adlerianis, Anno MDCCXXXV Mense Februario

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172743238X>

Druck Freier  Zugang



J. H. Burgmann.

Utrum existentia reipublicae Platonicae
ex eo quod perfectissima concipitur, con-
sequatur.


1735.

Cm

020

C m
920







AD.
VIRVM,
NOBILISSIMVM, AMPLISSIMVM,
CONSULTISSIMVM. ATQVE. PRVDENTISSIMVM,
DOMINVM,
GEORGIVM. HENRICVM.
GERCKENIVM.

I

IURISCONSULTVM. INSIGNEM.

ET.

REIPUBLICAE. LIBERAE. IMPERIALIS.
LVBECENSIS.

HACTENVS. PROTONOTARIVM. OPTIME.
MERENTEM.

PATRIAE. SENATORVM. ORDINI.
SPLENDIDISSIMO.

EX. MERITORVM. COPIA. NVPER.
ADSCRIPTVM.

GRATVLATIO. EPISTOLICA.

QVA.

VTRVM. EXISTENTIA. REIPUBLICAE
PLATONICAE. EX. EO.

QVOD. PERFECTISSIMA. CONCIPITVR.
CONSEQVATVR.

DISQVIRITVR.

A.

M. IOACHIMO. HENRICO. BVRGMANNO.
ROSTOCH,

ROSTOCHII, OPERIS ADLERIANIS. ANNO. MDCCXXXV.
MENSE. FEBRVARIO. -



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

1

VIR NOBILISSIME,
AMPLISSIME, CONSVLTISSIME PRVDEN-
TISSIME,
DOMINE ET PATRONE DEMISSE, COLENDE.



Vae TVAM auspicatam, VIR NO-
BILISSIME, in ordinem reipubli-
cae Lubecensis Senatorium coo-
ptationem mihi nunciarunt litte-
rae, tanto me, qui TE Patronum
veneror summum, perfuderunt
gaudio, vt intra animum id conti-
nere non potuerim; sed publica
scriptione TIBI exponere mearum duxerim partium
esse. Quod antequam, vt mente deuota concepi, ex-
sequar, more, in republica litteraria haud insolito, TI-
BIQVE, qui litterarum studiis haud leuiter delectaris,
minime iniucundo, argumentum aliquod de republica
Platonica perfectissima nuperrime disceptatum, aque
TVA persona, dum hodie reipublicae suscipis admini-
strationem, non alienum, !strictim excutere decreui.
Ante omnia a TE, VIR PRVDENTISSIME, iterum
iterumque peto, vt huic scriptioni non tam ex eloquu-
tione & deductione; hanc enim temporis angustia in-
geniique tenuitas non ferunt, quam scriptoris animo
A 2 statuas

statuas pretium. Quod dum a TE me facile impetraturum esse, ea, qua praestas, humanitas dubitare non finit, iam bona TVA cum venia paucis disquiram; vtrum existentia reipublicae PLATONIS ex eo, quod perfectissima concipitur, consequatur?

Constans fuit & pertinax eruditorum omnis aevi sententia, a potentia ad actum, siue a posse ad esse non valere consequutionem adfirmatiuam. Euoluas, quaecunque velis, methaphysicorum scripta, ab omnibus canonem istum laudatum & probatum esse deprehendes. Vt reliqua taceam, satisfacient animo non prauidicato, quae ad axiomatis, modo dicti, confirmationem, S. R. D. D. AEPINVS, Patronus atque Praeceptor summo opere colendus, in medium adtulit: *Probatum*, scribit, *quia potentia est antecedens, actus vero consequens: non autem posito quocunque antecedente ponitur statim consequens* (a). Alia incedunt via philosophi, INLVSTRIS WOLFFII vestigia prementes. Aut inductione ac exemplis probare student, quod res, quae est possibilis, non statim fiat actualis; quo argumentandi modo vtitur ipse WOLFFIVS (b), ac post eum LVDOVICVS PHILIPPVS THVMMIGIVS (c), aut ratione. Scilicet quum ex mente inlustri WOLFFII possibile dicant id, quod nullam inuoluit contradictionem, actuale autem, siue existens, quod complementum possibilitatis habet; existentia enim illis est complementum possibilitatis: inferunt, in actualitate plus esse quam in possibilitate, ac proinde, quemadmodum non sequatur, ubi minus est, ibi etiam maius esse; ita nec concludi posse: actuale esse, quod possibile est,

(a) Compend. Metaph. ad Theol. adplicat. Part. III. Sect. II. Cap. VI. §. 17. reg. 3. p. 167. edit. tertiae.

(b) In den vernünftigen Gedanken von Gott, der Welt, und der Seele des Menschen, §. 13.

(c) Institut. Philos. Wolff. Tom. I. Inst. t. Ontol. §. 12.

2

est, quum in possibilitate minus sit, in actualitate autem maius, tanquam complemento possibilitatis. Vtunque autem ista demonstratio, ex domesticis WOLFFII principis hausta, se habeat, rem tamen ipsam apud omnes contestatam esse, non dubitarem, nisi hoc aevo surrexissent philosophi, existimantes, vno quidem in casu a posse ad esse adfirmatiue recte concludi.

Producam, vt alios omittam DANIELEM MAICHELIVM, V. C. qui rem omnem hisce complectitur verbis; *Possibile est, cui non repugnat existere. Iam cum ens dari infinitum, in quo omnes omnino perfectiones mirabili resplendeant concentu, nullam inuoluat repugnantiam, ens infinitum, quod nos DEVM veneramur, possibile esse, nemo dubitabit. Cum vero existentia rei possibili velut fastigium imponat, eamque compleat & perficiat, ideo existentiam pro perfectione reputandam esse, facile colligitur. Porro cum ens, infinitum cunctas in vniuersum perfectiones possidere debeat, ve nec vel vnica de esse possit: ideo & enti infinito existentia competit, tanquam perfectio, hinc si ens infinitum vel DEVS existere potest, necessario existit (d). Monet deinde nota subiecta: Vides in hoc solo casu, inuerso canone, a posse ad esse valere consequentiam. Quoad haec argumentandi existentiamque summi NVMINIS probandi ratio admitti queat nec ne? nunc expendere non vacat. Vtrum autem ei recte opponatur respublica PLATONIS perfectissima, quod CHRISTIANVS BREITHAVPTIVS, V. C. opinatur, pro virium modulo disceptabo. Vfus erat qua rem CARTESII (e) licet inficiens vestigiis, eodem hoc*

A 3

argu-

(d) Dissert. philos. de intellectu dinino §. 4. p. 5. quae Tubingae anno 1732. prodit.

(e) Quae genuina CARTESII sententia sit, erudite ostendit Cl. ERICVS ALSTRIN diss. de philosophia RENATI CARTESII circa existentiam DEI P. I. §. X. pag. 38. sqq. Edita est diss. illa Holmiae anno 1727.

argumento Cl. AVGVSTINVS MICHAEL RVCKERVS.
 Quum vero dissertatio eius methodo naturali, quam
 alii mathematicam adpellare malunt, conscripta sit, false
 eam Cl. BREITHAVPTIVS perstringit: So hat auch,
 sunt verba eius, AVGVSTINVS MICHAEL RVCKER
 an. 1717. zu Jena eine Dissertation gehalten sub tit. *Demon-*
stratio existentiae divinae methodo mathematica concepta,
 darin er zwar nach der methode des CARTESII philosophiret,
 in demonstrieren aber nicht allzuglücklich ist (f). Quod iu-
 dicio ne forte invidiosum cuidam videatur, ex disser-
 tatione Cl. RVCKERI existentiae diuinae probationem
 describit, eamque per deductionem ad absurdum infrin-
 gere nititur: zu einen exempel hievon, pergit BREIT-
 HAVPTIVS, kan uns unter andern dienen die andere pro-
 positio, und derselben Beweis. *Propos. II. DEVS actu & ne-*
cessario existit. Demonstratio. Ens, quod perfectissimum concipio,
omnes habet perfectiones. Necessario & actu existere
est perfectio. Ergo ens, quod perfectissimum concipio, necessario
& actu existit. Haec est demonstratio RVCKERIANA,
 iam audiamus epicurum Cl. BREITHAVPTII: Wenn dem
 also, scribit, so lasset sich auch so schliessen: *Respublica Pla-*
tonica est perfectissima. Respublica, quam perfectissimam
concupio, omnes habet perfectiones. Necessario & actu exi-
stere est perfectio. E. Respublica Platonica necessario & actu
existit. Speciosa haec imperito quidem censeri poterant,
 sed aequo rerum iudici adensum vix extorquebunt.
 Supponam hac vice a possibilitate entis perfectissimi ad
 existentiam summi NVMINIS recte concludi, eadem
 autem ratione existentiam reipublicae Platonicae euin-
 ci posse, siue quod existat Respublica Platonica, quae
 perfectissima concipitur, mihi persuadere nequeo. *Gratis*
etenim

(f) In den zufälligen Gedanken über die Methode, wie ein Atheist von der
 existenz Gottes und der Wahrheit der H. Schrift zu überzeugen (Helm-
 städt 1732.) p. 23.

3

etenim omnino id admittitur; rempublicam PLATONIS esse perfectissimam. Respublica speculatiua, hoc est, quae statui hominum haud est adcommodata, nunquam sane potest esse perfectissima, quod ex fine reipublicae satis intelligitur. Bene NICOLAUS TORNERVS: *Constans sapientum est sententia, huiusmodi formas rerumpublicarum praescribi oportere, quae in usum deduci possunt, non, quae sunt ex genere ἀδυνάτων: horum enim nullus usus est (g).* At vero respublica PLATONIS est ex genere impossibilem. Componit enim PLATO rempublicam, quam comminiscitur, ex hominibus omni ex parte iustis probisque, quum tamen sine vitiis nascatur nemo, ac cuilibet, si naturam spectes corruptam, ingemiscendum sit haud raro illud MEDEAE;

Video meliora, proboque: deteriora sequor.

Hinc rectissime de PLATONE iudicat ATHENAEVS: *Videtur, scribens, sane PLATO non hominibus, qui vbiuis sunt, leges praescribere, sed iis, quos imaginatione finxit; ut, qui legibus iis pareant, perquirendi sint (h).* Eadem mens sedet JACOBO BRVCKERO, V. C. quam his exposuit verbis: *Wenn man alles beym Licht besiehet, so wird man finden, daß Platonis Republique eine Chimaere seye, die in seinen zu abstractionibus geneigten Kopff, und sonst nirgends hätte Platz finden können (i).* Nolo plura cumulare eruditorum testimonia, collecta alias a viro copiosae doctrinae b. CAROLO ARNDIO (1);
haec

(g) Leguntur haec TORNERI Verba diff. de communione bonorum, in primis aetate Apostolica Hierosolymis vsurpata. §. XIV. p. 20. Ventilata ea est sub praesidio GOTTLIEB SCHELVIGII Gedank anno 1715.

(h) Apud Celeb. STOLLIVM, Patronum atque Praeceptorem venerandum in der Anleitung zur Historie der Gelahrth. P. III, C. V. §. XIV not. ** p. m. 700.

(i) In den Fragen der Philosophischen Historie P. I. p. 68r.

(1) Biblioth. Polli. Herald. Class. II. gen. Class. I. spec. §. II. p. 70. sqq.

haec etenim, qui ad animum serio reuocauerit, vix adducetur, vt PLATONIS Rempublicam perfectissimam credat. Quibus cum si compareretur dogma PLATONIS de communiōe vxorum in Rempublicam introducenda, quantum respublica Platonica a perfectionis summae absit fastigio, haud aegre adparet. Sunt quidem, qui PLATONEM excusare student. Ita IO. HENR. BOECLERUS, nimius tamen, omnium consensu, PLATONIS fautor, exserte scribit: *Communes (PLATO) voluit esse vxores, non confusione libidinis, sed communiōe caritatis* (m). Ast repugnat haec interpretatio sententiae PLATONIS per omnia, quod cuiuslibet, textum eius euoluenti, patebit. Post BOECLERVM PLATONIS susceperunt defensionem IO. CHRISTOPH. BECMANNVS, qui communiōem hanc per communiōem operarum interpretatur (n), ac GOTTLIEB SCHELGVIGIVS, qui a NICOLAO TORNERO, respondente auctore dissertationis iam citatae, hoc nomine PLATONEM castigante (o), suum prolixè testatur dissensum: *Ad PLATONEM, scribit, quod adinet, constans mihi perstat sententia; cuius ingenii tanquæ profundæ sapientiae philosophum nunquam serio bonorum, ne de vxoribus dicam, communiōem statuisset: imo sic sentio: in praescribenda reipublicae forma eundem non intendisse, quod esse posset, aut esse vellent, sed quod prauis humani generis cupiditatibus videbat conueniens, vt irrideret hominum stulticiam* (p)-

Verum

-
- (m) Comm. posth. de scriptoribus graecis & latinis p. 18. edit. Argent. ann. 1674. in 8vo.
 (n) Medit. Polit. Cap. IV. §. 6. p. 6. Polit. Parall. Cap. IV. §. 3. p. 455. sqq.
 (o) §. XIV. p. 19.
 (p) Epistola ad DN. Respondentem.
 (q) Specim. Histor. de origine & progressu haeresium in ecclesia Cap. I. §. 12., quo loco, quæ BECMANNVS obiecerat, modeste ac eruditè discutit.

4

Verum enim vero, quaecunque ab his PLATONIS defensoribus ad causam eius ornandam excogitata sunt, mihi quidem cum eius doctrina connexe spectata, prout eam exhibuerunt b. COLBERGIUS (q) & D. D. HEVMANNVS (r), perperam cohaerere videntur. De communione operarum eum explicare velle, est ea in PLATONE negligere, quae adtendenda maxime erant (s). Nec summa sapientia, quae tamen PLATONI viro ad enthusiasum procliuui, iudicioque parum valenti adscribi nequit, nos ab omni praestat immunes errore, quum & bonus quandoque dormitet HOMERVS ac quilibet suos patiatur manes. Denique non Satyricum egisse PLATONEM, sed seriam hanc eius fuisse sententiam, satis inde elucere arbitror, quod PLOTINVS ex mente praeceptoris PLATONOPOLIN condere, in animum induxerit (t). Ex reliquis discipulis, si placet, de magistro quoque poterit existimari. Hi, ne fateri cogantur, divinum PLATONEM errasse, tam perplexe atque contorte mentem eius exponunt, vt, quae ea demum sit, ex quouis alio facilius cognoscas, quam PLATONIS alumno. Vnicum huius rei testem vt producam, prouoco ad APVLEIVM, MANDAVRENSEM, qui de sententia praeceptoris hoc commentatur modo: *Matrimonia quoque (docet PLATO) non priuatim maritanda esse, sed fieri communia, despondentibus ipsis eiusmodi nuptias publicae civitatis sapientibus & magistratibus & sorte quadam ei negotio praeditis, idque praecipue curantibus, ne dispaes sui vel inter se dissimiles copulentur. His adnectitur utilis necessariaque confusio, vt permixta nutrimenta puerorum ignotorum adhuc, agnitionis*

B paren-

(r) Actor. Philos. Thom. I. P. V. no. II. p. 810. sqq. von der Platonischen Weiber Gemeinschaft.

(s) Conf. Acta Phil. I. c. §. VII. p. 822, 823.

(t) Conf. TORNEVVS l. c.

parentibus adferant difficultatem: ut dum suos liberos nesciunt, omnes, quos viderint eius aetatis suos credant, & veluti communium liberorum omnes omnium sint parentes (v). Quod si ergo PLATO per ioci aut satirae leges vxores in republica communes fecisset, non adeo studiose pro hac eius sententia discipuli laborassent, aut tantis eam tenebris, dum inlustrare voluerunt, inuoluissent (w). Paucis: Tam clare, tam perspicue ipse suam exposuit mentem PLATO, ut qui communionem vxorum ab ipso adferam esse infitari vellet, planissimis ipsius hac de re verbis omnibusque cogitatis violenta interpretationem inferre deberet. Quae quum ita sint sua sponte Cl. BREITHAVPTII corrui hypothesis, Rempublicam Platonicam esse perfectissimam. Quot enim incommoda talis vxorum communio secum vehat, quot rixas, quot contentiones, quot caedes? nemo non animaduertit. Aut nihil prorsus, aut feminam cum alio communem alere, homines aduersus se inuicem sollicitat atque armat. Perspexit hoc Christianorum ille CICERO, LACTANTIUS, vnde acriter satis contra PLATONEM disputat. Quo ergo, scribit, illum communitas ista perduxit? matrimonia quoque, inquit, communia esse debent, scilicet ut ad eandem mulierem multi viri, tanquam canes confluant; & is utique obtineat, qui viribus vice-rit, aut si patientes sunt, ut philosophi, expectent, & vicibus tanquam lupanar obeant. - - - Superest, ut tantummodo concordiae causa vxores velit esse communes. At nulla vehementior discordiarum causa est, quam vnius feminae a multis maribus adpetitio (x). Ita haec mihi LACTANTII cen-
sura

(v) de habitudine doctrinae Platonicae Libr. II. Oper. edit. Elmenhorst. p. 26.

(w) Legi merentur, quae hanc in rem erudite observata sunt a D. D. HEVMANNO l. c. §. X seq. p. 682. seq.

(x) de falsa sapientia Libr. III. Cap. XXI. Oper. p. m. 224. edit. Cellar. de anno

5

fura comparata videtur, vt veritatis tuendae studium eam requisivit. Dicam quidem eius causa ei scripserunt FRATER ANTONIVS RAVDENSIS (y), atque D. D. HEVMANNVS. At vero non indignus mihi videtur LACTANTIUS, qui absoluator, aequus, si vllibi, certe hic, PLATONIS arbiter. De ANTONIO vt quaedam addam, haud opus esse iudico, quum praeiudicio auctoritatis abreptus, hanc censurae suae reddat rationem: LACTANTIVM eum non esse, qui tanto philosopho insultet. Ast maioris esse momenti videntur,

B 2

quae

anno 1698. in 8vo. Dignus est locus, qui euoluatur, dum job prolixitatem excusari integer non potuerit.

- (y) Catalogo errorum LACTANTII, qui vetustissimae ac probatissimae editioni, haec Rostochii excusae, adhaeret. Rarissimam eam esse, & pretium viginum imperialium in catalogo quodam non ignoto illi statutum esse constat. Quae ego quidem de ea comperta habeo, subiiciam, quum historiae litterariae Rostochiensis lucem quandam adfundant, ac mihi, Ienae degenti, ex b. KROMAYERI, praeceptoris post mortem venerandi adhuc, propensione, eius perlustrandi copia facta sit. Scilicet disputatum est inter Celeb. GEORGIUM FRIDERICVM STIEBERVM, ac Celeb. Collectores Annalium Litterariorum Mecklenburgensium de primo Rostochiensium typographo, quorum hi pro GVNTHERO WINTERO, iam anno 1510. ibidem florente, ille vero pro LVDOVICO DIETZIO, circa idem ferme tempus, teste CHYTRAEO, typographiam exercente pronunciant vid. Annales litter. Mecklenb. P.I.p.112. Sed quod virorum doctissimorum pace dixerim, vtrosque adhuc praecefferunt fratres presbyteri & clerici congregationis domus viridisorii, iam circa annum 1476. libros inprimentes. Testatur hoc editio LACTANTII memorata, cuius integrum, excepta unica voce, casu oblitterata, iam exhibebo epilogum:

Firmiani Lactantii viri praecellentis ingenii, qui vel solus inter christianae professionis Scripsores supereminet nitore quodam & copia: vel nullum eorum sequitur facundia simul & lenitate sermonum: Diuinarum institutionum aduersus gentes. De ira quoque DEI ad Donatum. Nec non & de opificio DEI vel formatione hominis ad Demetrianum: finiunt libri per fratres presbyteros & Clericos congregationis domus viridisorii ad

sanctum

quae D. D. HEVMANNVS obuertit: Unter den Kirchen-
 Lehrern, scribit, hat auch LACTANTIVS wider diese Leh-
 re des PLATONIS seine Feder angesetzt, jedoch so, daß er
 mehr seine Geschicklichkeit in der Oratorie als in der Logic
 hat sehen lassen. Denn er hat des Platonis Meinung
 gar nicht recht gefasset, sondern dichtet ihm an, als wol-
 le er in der Republicque, wie solche aus lasterhaften und
 verderbten Menschen bestehet, die *communione vxorem* ein-
 führen, und also aus der Welt ein Hur-Haus machen: da
 doch Plato wider diese Mißdeutung seiner Meinung aus-
 drücklich protestirt hat. Es gehen also die häufigen und
 eiffrigen *interrogationes, exclamationes und deductiones ad
 absurdum*, die LACTANTIVS vorbringet, alle in den Wind.
 Denn er streitet nicht wider den PLATONEM, sondern
 wider die Larve des unrecht verstandenen PLATONIS (2),
 Verum enim vero, quantum ego quidem adsequor,
 haec LACTANTIVM von feriunt. Nunquam is PLA-
 TONEM libidinis adcusauit, aut id sibi voluisse hoc dog-
 mate PLATONEM adfirmavit, vt mundus in lupanar
 commutetur vniuersale, licet adserat, ex doctrinae PLA-
 TONIS id consequi. At vero a doctrina auctoris ad
 animum eius haud valet consequutio, quemadmodum
 ex atheismo doctrinae atheismum auctoris inferre velle,
 iniquum foret maxime. Eiusmodi autem est doctrina
 PLATONIS, vt si respublicae eidem conformarentur,
 breui

sanctum Michaelem in opido Rostockcen - - - inferio-
 ris Sclauiae, prout facultas & industria tulit, emendate
 satis & accurate consummati. Anno incarnationis do-
 minicae, Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto
 Quinto Idus Aprilis. DEO gratias.

Tanti hanc editionem Rostochiensē faciebat b. KROMAYERVS
 vt impressos codices, mendis hinc inde abundantes, ex ea re
 fingeret.

(2) l. c. §. XIII. pag. 834.

brevi tempore scortatorum copiae ea laboraturae sine
 Quod & ipse D. D. HEVMANNVS diffiteri nequit,
 quemadmodum verba eius : Wiewohl man bald siehet,
 daß sich diese Worte des PLATONIS gar leichtlich misdeuten
 lassen, und ist kein Zweifel, es werden sich von beyderley
 Geschlecht Leute genug finden, die hierinnen ihrem Vater-
 terland zu dienen, nicht ermangeln, und ihre Kinder der
 Republique gar gerne zu ernehren, überlassen würden (a)
 luculenter testantur. Neque etiam adhuc exploratum
 est, an non PLATO mundum in Iupanar commutare
 voluerit, non ex libidine quidem, sed persuasione tamen
 erronea, quod perfectior sit respublica, in quam com-
 munitio vxorum introducta sit. Quamuis enim ex mente
 PLATONIS ciuitatis illius, in qua haec vxorum *κοινωνία*
 locum habeat, socii philosophi omnes esse, vitaeque
 degendae rationem, sanioris philosophiae practicae
 principiis adtemperatam, ingredi debeant; nulla tamen
 est conditio, quam hominum non fert indoles, non
 semper bona vera, sed & adparentia consecretantium, hoc
 est, mala. Quod dum PLATONI non potuit esse ob-
 scurum, saepius alias miseriam generis humani deploro-
 ranti, is vero eo non obstante, reipublicae idealis, a
 se delineatae, realem constitutionem magnopere com-
 mended, vrgeatue, quis abnegare poterit, PLATO-
 NEM conditione adiecta, fucum tantum facere voluisse,
 quo primo statim intuitu non omnibus insignis reipub-
 licae suae se proderet deformitas. Sed nolo diutius hisce
 inhaerere, quum ex dictis luculenter adpareat, Celeb.
 BREITHAVPTIVM contra Cl. RVCKERVM irrito de-
 pugnavisse successu. Quum enim respublica PLATONIS
 perfectissima non sit, ea vero argumentandi ratio, qua
 Cl. RÜCKERVS utitur, tantum de ente perfectissimo
 B 3 valeat,

(a) l. c. s. VI. pag. 82r.

valeat, sua sponte relinquatur, sententiam RVCKERIANAM hac instantia non labefactari. Quod si autem vel maxime concederem, rempublicam PLATONICAM esse perfectissimam, qualem sibi forte cum MORO, AVCTORE Historiae Seuararum, aut qui recentissimus est, LVDOVICO ERNESTO a FARAMOND, fingere quis posset, non tamen obtineret Cl. BREITHAVPTIVS, quae eius iuarent causam. Quotus enim quisque est, qui non intelligat, Cl. RVCKERO de ente perfectissimo, *absolute tali*, sermonem esse, at vero id aut non advertens, aut dissimulans praeterit Cl. BREITHAVPTIVS, loco eius ens perfectissimum, *respective tale*, substituens. Conclusio ergo, quae inde elicitur, non potest non vacillare, quum Syllogismum, qui formandus esset, necessario quatuor ingrederentur termini, ac quae in maiori de ente perfectissimo, *absolute tali*, adfererentur, in minori de ente perfectissimo, *respective tali*, subsumenda forent. Ex quo relinquatur sententiae RVCKERIANAE nil derogare rempublicam PLATONIS, nec eius existentiam ex eo, quod perfectissima concipitur, consequi.

Maiori iure, VIR CONSVLTISSIME ATQVE PRVDENTISSIME, ad quem his praestructis, mea nunc dirigitur oratio, rempublicam liberam imperialem Lubecensem non solum perfectissimam mihi concipio, sed tanquam perfectissimam vere existere, adfirmo. Ad tantum enim perfectionis gradum, quantum societates admittunt, eam euectam esse, dissimulare nemo potest. Iam olim IOANNES CASELIVS, at quam acer rerum humanarum censor, laudavit LVBECAM tanquam civitatem, *quae nomine iuovitas & apud longinquas gentes bene audiat, & ab acerbis vitae hominum censoribus magnopere praedi-*

7

praediceretur (b). Non multum recedunt ab his, quae b. MATTHIAS STEIN, vir longissimo rerum usu & naturali habitudine in iudicando felicissimus, de LVBECA tradit, dicens (c), eam esse urbem Saxoniae amplissimam Wagriae caput, situ & moenibus ornatissimam, mercaturis praeterea & mercibus omnibusque rebus necessariis instructissimam, maxime vero bonis legibus & moribus clarissimam & tam publicis quam privatis aedificiis splendidissimam, ut vere sit, quod dicitur, laudis angulus, decus & corona urbium, quali honorifico encomio eandem olim laudavit - - NICOLAUS REVSNERVS. Ita etiam sine ea, quam PLATO comminiscitur, ideali perfectorum hominum coniunctione, atque rerum omnium, ipsarumque vxorum, communione, respublicae felices esse possunt, ac qua ratione perfectio earum vel amplificari vel augeri queat, PLATONIS licet phantasiis reiectis, viri prudentes intelligunt. Haud exiguum tamen patriae TVAE, VIR AMPLISSIME, perfectionis adiectum esse incrementum, nemo non fatetur, dum his diebus consule vno Magnifico, & quatuor Senatoribus prudentissimis, quos inter TV, VIR CONSVLTISSIME, agmen ducis, mihi que quam maxime depraedicandus es, aucta est. Quanta enim sollertia, cura, dexteritateque per plures iam annos communi saluti consulueris, inter omnes constat. Ex quo, quanta a TE in posterum expectare sibi que pollicere queat LVBECA, coniectu haud difficile est, & cum doctrina, quae TE exornat, solida & multi iugis, tum animi prudentia, qua mirifice eluces, abunde declarant. Celebro veneror que igitur diuinam prouidentiam,

(b) epistol. apud BERSMANNVM ad ROLLIVM Memor. philos. Decad. I. pag. 176.

(c) Progr. exequ. ad funus viri perinlustri b. IOANNIS VERMEHREN.

iam, quae LVBECAE, cui & me plurimum debere,
non ignoro, tantum virum largita est, TIBIQUE b.
parentis, SEBASTIANI GERCKENII, & b. soceri, DA-
NIELIS MVLLERI, qui ambo dignitate primum se-
natoria cum immortalis gloria functi sunt, postea vero
fasces consulares acceperunt, sed immaturo eheu! fato
extincti sunt, vestigia clementissime aperuit. Princeps
ille DEVS, rerum publicarum felicitum fator statorque,
TE, VIR PRVDENTISSIME, suis complectatur vlnis,
viribus animi, corporisque roboret, incolumitate &
vita exornet, felicitate intemerata, in dies augenda,
cumulet, & reipublicae LVBECENSI fulcimento, Fa-
miliae autem splendidissimae ornamento iubeat esse
perenni. Mihi vero, VIR PRVDENTISSIME, DO-
MINE COLENDE, vt in TVO patrocinio fauore-
que exultare subinde liceat, quam de-
misse oro, rogoque.

Vale.



S





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn172743238X/phys_0022

DFG

Verum enim vero, quaecunque ab his PLATONIS defensoribus ad causam eius ornandam excogitata sunt, mihi quidem cum eius doctrina connexe spectata, pro ut eam exhibuerunt b. COLBERGIVS (q) & D. D. HEVMANNVS (r), perperam cohaerere videntur. De communiōe operarum eum explicare velle, est ea in PLATONE negligere, quae ad attendenda maxime erant (s). Nec summa sapientia, quae tamen PLATONI viro ad enthusiasum procliuī, iudicioque parum valenti adscribi nequit, nos ab omni praestat immunes errore, quum & bonus quandoque dormitet HOMERVS ac quilibet suos patiatur manes. Denique non Satyricum egisse PLATONEM, sed seriam hanc eius fuisse sententiam, satis inde elucere arbitror, quod PLOTINVS ex mente praeceptoris PLATONOPOLIN condere, in animum induxerit (t). Ex reliquis discipulis, si placet, de magistro quoque poterit existimari. Hi, ne fateri cogantur, divinum PLATONEM errasse tam perplexe atque contorte mentem eius exponunt vt, quae ea demum sit, ex quouis alio facilius cognoscas, quam PLATONIS alumno. Vnicum huius re testem vt producam, prouoco ad APVLEIVM, MANDAVRENSEM, qui de sententia praeceptoris hoc commentatur modo: *Matrimonia quoque (docet PLATO non priuatim maritanda esse, sed fieri communia, despondentibus ipsis eiusmodi nuptias publicae civitatis sapientibus & magistratibus & sorte quadam ei negotio praeditis, idque praecipue curantibus, ne dispaes sui vel inter se dissimiles copulentur. His adnectitur utilis necessariaque confusio, v. permixta nutrimenta puerorum ignotorum adhibere, agnitioni*

B paren

- (r) Astor. Philos. Thom. I. P. V. no. II. p. 810. sqq. von der Platonischen Weiber Gemeinschaft.
 (s) Conf. Acta Phil. I. c. §. VII. p. 822, 823.
 (t) Conf. TORNERVS l. c.

